

1574
Cosmi ma-
gni Ducis
Hetruriae
obitus.
Franciscus
filius patris
suffectus
Federicum
Strozium
Venetias
oratore
mittit.

Per eos dies Cosmus Mediceus ex humanis est ablatum; qui e privato cive ad Hetruriae dominatum evectus, magna in eo administrando virtutis documenta dederat; eique Franciscus filius successit, qui, Federico Strozio legato Venetias misso, patris obitum, suamque in Hetruria successione Patribus significavit. Ad eum officii causa Andreas Guffonius orator designatus. Guidus quoque Ubaldus, Urbini Dux, fato concessit; ac Francisco Mariae filio, qui avi, Reipublicae Venetae primum summi militiae praefecti, postea imperatoris, nomen gestabat, imperium reliquit; eique Matthaeus Zannius legatus est. Exeunte anno, a Gregorio Summo Pontifice janua, quam *sanctam* vocitant, solemni ritu est resecrata; & cuncto christiano orbi caelestibus communicatis thesauris, jubileum indictum; quod initio licet, ut centesimo quoque, saeculari scilicet anno, celebraretur, decretum esset; attamen, quo animarum saluti certius ac salubrius confuleretur, ad quinquaginta, inde ad vigintiquinque annos a Summis Pontificibus est redactum.

M. D. LXXV.

1575

Selymi obitus.

Initio anni ingens de Turcarum maritimo apparatu per omnem Europam fama circumferebatur, ancipitique cura distenti quasnam in partes belli impetus verteretur, cuncti circumspectabant. Nam Tuneti, ac Guletæ victoria sublatus Selymi animus majora meditabatur. Noverat Philippum Hispaniarum Regem Belgico bello implicitum, integras vires ad certamen afferre non posse; Venetos a pace nuper inita non discessuros; reliquos christianos Principes maritimis nudatos viribus nullum suis impedimentum conatibus allaturos. Quapropter crebris rumoribus, ac sermonibus increbuerat, Melitæ insulae expugnationem moliri, tum prisco atque acerrimo in Equites odio, tum vehementi cupiditate eam notam delendi, quam superioribus annis Turcas contraxisse rebatur, cum Suleimanus pater ingenti conatu eam insulam adortus, turpiter repulsus fuerat. Inter hasce cogitationes repentina mors Selymum intercepit, qui licet in Asia, Cypro, in Africa, Tuneto, & Guleta aliorum

ma-